



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censuris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

Svmmarivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

## DECISIO I.

Ex cons. 1. in utrisque.

**C**um contractus depositi sit contractus gratuitus, sicut & contractus commodati; ex Gl. in c. 1. de commodat. & in cap. 1. de deposito, ita ut si aliquid acciperetur, fieret contractus locationis, & conductionis; & depositum factum de re aliqua, quæ consistit in numero, pondere, & mensura, cum facultate ut ea depositarius uti possit, sit mutuum, simul ac ipse ceperit eo uti; l. Quintus, ff. de deposit. & l. certi conditio. §. si. ff. de rebus credi. adeo ut mutuum, & depositum pecuniæ cum facultate ea utendi paria sunt, eodem iure censenda; consequenter sicut acceptio alicuius rei pecuniariæ ob mutuum iniusta est, & accipientem ad restituendum acceptum obligat, c. si feneratoris, 14. q. 3. & c. cōsoluisti, de vsur. cum sit contra legem diuinam, dicentem Mutuum date nihil inde sperantes; Luc. 10. ita etiam omnis depositio pecuniæ cum facultate ut ea depositarius uti possit, & eo pacto, ut aliquid deponenti solvatur, cum verè mutuum sit, iniusta, & vsuraria est, & ad restitutionem acceptorum obligat, ex Nau. in Man. c. 17. num. 280. 281. & 283. nec in ea vlla ratione Papa dispensare potest ut licita sit, eo quod vsura omnis iure naturali, & diuino prohibetur, c. quia in omnibus de vsur. & S. Th. 2. 2. q. 78. art. 1. nec dispensare valet: Papa; ut quis licite vsuram exercent, c. super eo, de vsu.

## DECISIO II.

Ex cons. 2. deest in Nonis.

**Q**uia aliquid ab exactore, vel Thesaurario constituto ut reditus exigat, cum facultate utendi pecunia recepta, quousque veniat dies præfixus ad eam reddendam, accipit, vsuram committit, & acceptum restituere tenetur; eo quod depositum gratuitum factum cum facultate utendi pecunia, sit mutuum, l. rogasti ff. de reb. cred. ratione cuius nihil iuste exigere potest, sed vsura esset, quæ non est licita. c. consuluit, de vsur.

## DECISIO III.

Ex cons. 3. deest in Nonis.

**P**rinceps, aut ciuitas constituens aliquem depositarium alicuius gabellæ, cum depositario iuste conuenire non potest, ut præter pecuniam, quam colligit ex gabella, certam ei quantitatem soluat pro facultate, quam facit, utendi ea tempore, quo est apud eum ex Nau. in Man. c. 17. num. 283. eo quod deponere pecuniam, vel aliquid aliud in numero pondere, vel mensura consistens cum facultate utendi eo est mutuum, l. certi conditio, §. si. ff. de reb. cred. aliquid autem ob mutuum vsura rem mutuo datam accipiens, vsuram committit, & ad restituendum acceptum obligatur. Multoque minus iuste poterit talis depositarius officium illud Depositarij transferre in aliquem cum pacto, ut soluta quantitate, quæ debetur Principi, vel ciuitati, soluat ei dimidium eius, quod ex vsu prædictæ pecuniæ gabellarum acceptæ fuerit lucratus.

## DECISIO IV.

Ex cons. 4. in utrisque.

**C**um depositum pecuniæ numeratæ cum facultate utendi eam subeat naturam contractus mutui, l. certi conditio, §. si. ff. de reb. cred. & per contractum mutui dominium mutuo data, & onus custodiendi, in mutuatarium tanquam dominum trāsit: l. 2. §. appellata ff. de reb. cred. & l. 2. c. de commodat. consequenter deponens aliquid depositario pro custodia solvere non tenetur: quando autem depositarius depositam pecuniam accipit sine facultate ea utendi, & cum obligatione eandem restitueri, pro custodia mercedem meretur, quia non transit dominium in illum; nec aliquid deponenti reddere tenetur vsura depositum: l. si faculum, ff. de deposit. neque deponens ab eo aliquid vsura fortiter exigere iuste potest.

## DECISIO V.

Ex cons. 5. in utrisque.

**Q**uamuis summam aliquam pecuniæ numeratæ apud aliquam ecclesiam ea lege deponere liceat, ut administratores bonorum eius, aliquot exinde reditus annuos emant, quorum quinta, aut aliqua alia certa & statuta pars vtilitati illius ecclesiæ pro decima, & onere administrationis cedat, & alia quatuor partes deponenti, & successoribus eius debeantur: c. 1. de deposito, eo quod regulariter omnis contractus aliqui illegitimus, cum Ecclesia fieri potest, si est ei utilis: Arg. c. sine exceptione, & c. si qua 12. q. 2. melius tamen, aptius, & securius fieret, si pecuniæ illæ ecclesiæ donarentur, sub modo, & onere reddendi donanti, & successoribus suis certam aliquam partem reditus rei ex illis pecunijs emptæ.

## TITVLVS X.

De Emptione, &amp; venditione.

## SUMMARIVM.

- 1 Censuræ constitutio qualiter olim, & modo fieri possit.
- 2 Hospitibus, quam indigenis, carius vendere illicitum.
- 3 Vendens vsura taxam peccat, & ad restitutionem tenetur.
- 4 Papa, & qui alij, ex causa iniusta, relicta laicorum ad pios vsus in alios vsus pios mutare possunt.
- 5 Actus, ad cuius valorem dispensatio requiritur, donec illa imperet, est nullus.
- 6 Vendens scienter male emptori id scienti, quamuis peccet, non tamen de cessione, aut ad interesse tenetur.
- 7 Emptio, & venditio sunt iniusta, cum pretium maius notabiliter iusto datur, vel accipitur.
- 8 Mercator, qui multis in vendendo nocuit, quid faciet.
- 9 Mutuus frumentum ut melius recipiat, peccat, & restituere tenetur.
- 10 Societas, ut sors conferenti salua maneat, est illicita.
- 11 Censuræ ante Pium V. partim pecunia, partim alijs bonis emebantur.
- 12 Vendere carius ob dilationem quando liceat.
- 13 Cambium per minutum cuiuslibet, cum licitum sit, licite mutuari potest pecunia minuta cum intentione recipiendi argentam.
- 14 Censuræ impositio in pecunia numerata, ut fieri debet.
- 15 Censuræ redimibilis positus super re immobili, quando vsurarius censendus.
- 16 Venditio cum pacto, ut pro parte pretij non soluti census annus solvatur, vsuraria est.
- 17 Mercator peccat vendendo vsura rigorosum pretium, cum obligatione restituendi.
- 18 Locator venditori rem emptam cum pacto de retrouendendo tanti locare potest, quanti cuiuslibet tertio locaretur.
- 19 Vsura non est, si dem tibi irrevocabiliter aliquid, ut certum quid annuum mihi des.
- 20 Censuræ annuus an olim super persona constitui poterat.

## DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 13.

**L**icet constitutio census olim fieri poterat, si pretium constitutum esset in pecunia numerata, etiam si eius solutio facta fuisset in alia pecunia, vel re alia, quæ non esset pecunia numerata, & etiam constituta fuisset ob pecuniæ lōge antea a venditore debitæ; ex Ext. Mart. v. & Calix. 3. Post